

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Eloquencia s
cum fonte primo

Quis medicus egros in transitu curat,
nec ullam quidem uoluptatem habet
talibus uerborum ruentium strepidus?

Quemadmodum proclive currencium non ubi uisum est gradus sistitur
sed incitato corporis pondere serpit, ac longius quam uoluit effertur.
Sic ista dicendi celeritas nec in sua potestate est,
nec satis decora philosophiae que ponere debet uerba,
non proicere, et pedetemptim procedere.

Perhennis sit unda non torrens.

Circumspiciat se sermo noster et aestimet, et prebeat estimandum,

proferatur malo quam profluat.

Seneca ibidem (XXXII. epistola).

quis medicus aegros in transitu curat?

Quid quod ne voluptatem quidem ullam habet
talibus uerborum sine dilectu ruentium strepidus?

Sed ut pleraque quae fieri posse non crederes cognovisse satis est,
ita istos qui uerba exercuerunt abunde est semel audisse.

Quid enim quis discere, quid imitari uelit? quid de eorum animo iudicet
quorum oratio perturbata et inmissa est nec potest reprimi?

Quemadmodum per proclive currencium non ubi visum est gradus sistitur,
sed incitato corporis ponderi seruit ac longius quam uoluit effertur,

sic ista dicendi celeritas nec in sua potestate est
nec satis decora philosophiae, quae ponere debet uerba,
non proicere, et pedetemptim procedere.

‘Quid ergo? non aliquando et insurget?’

Quidni? sed salva dignitate morum, quam uolenta ista et nimia vis exiit.

Habeat vires magnas, moderatas tamen;

perhennis sit unda, non torrens.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae morales*, 40.5-8
(L. Reynolds ed., vol.1, pp.105-106, ll.21-27,1-9).

Romanus sermo magis se circumspicit et aestimat praebetque aestimandum.

Fabianus, uir egregius et uita et scientia et, quod post ista est,
eloquentia quoque, disputabat expedite magis quam concitate,
ut posses dicere facilitatem esse illam, non celeritatem.

Hanc ego in uiro sapiente recipio, non exigo;

ut oratio eius sine impedimento exeat,
proferatur tamen malo quam profluat.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae morales*, 40.11-12
(L. Reynolds ed., vol.1, p.107, ll.7-14).